Sin aut ordinatio fuerit rerum in illis quae sunt erit eis ipsa ordinata vel actio, vel etiam subiecta earum rerum in quib. haerent. Terminus vero ipsa causa finalis. Ut Baptismus est ordinatio dei non personae: fundatus esse eius erit integra actio &c. Sic de peccato dic, Item in applicatione, de gratia, fide, σαββατισμῷ, ἀφέσει, Gloria, bello, pace &c.

De his audire cupio, mi humanissime Domine Magister, iudicium tuum atque censuram, & quid, si commentationibus tuis sit, calamo consignata, ut hac quoque in parte haesitatione, quam habeo, abiecta ipsa & institutione tua adiuter.

Sane & illud scire cupio, quid sit respondendum illis, qui aiunt relationum fundamenta esse duo tantum, quantitatem nimirum & qualitatem, in quam opinione est etiam Simonius ipse: qui ait actionem & passionem prout sunt relationum fundamenta esse qualitates, vel tertiae vel etiam secundae speciei. ut autem sunt categoriae ad relationem potius conf[…] quia, quemadmodum & quando, & ubi, & situm esse, & Habere, quam relationem producere, vel sustinere ipsa queant.

Mihi placet quod & tu nobis tradidisti de patris fundamento & Simonius in Antischekianis, quod scilicet sit actio ipsa generandi &c. Item quod fundamentum relationis ac proximum rationis sit accidens, non substantia, & dicatur id non cui relatio inest, ut homo, sed id per quod relatio inest: ut vis generandi fundamentum appellatur, per quod relatio idest paternitas inest subiecto i. homini, & quo posito relatio incipit, atque ablato desinit. Haec ego tamen optarem mihi accuratius explicari. aut saltem idoneis testimoniis confirmari ex Aristotele aut ex eius Interpretibus.

J. Ph. Baro ab Hohensax.

Quomodo sint in relatis definitiones extruendae doceri velim. Nam ex vulgata interpretum doctrina nihil plane certi de eo potest elici. Cum n. iustificationem definire volunt (ut verbi gratia hoc afferam) fundamentum huius ~~Deum~~ Christum vel misericordiam dei, loco autem termini personam credentis poni affirmant. Hinc illa dialecticorum observatio. In relatione quae ordinatione fit, genera seu fundamenta ex ipsis subiectis seu materia rerum sumuntur. Sic calefactionis fundamentum ignem, terminum rem calefactam faciunt. Ex fundamenti autem & termini copulatione esse definitionem conformandam tradunt: quod certe in his fieri non potest, ut nec in sacra Coena, ubi panis & vinum fundamenti loco ponuntur sic in multis aliis. Et quidam aiunt genus & speciem ex eadem categoria esse sumenda, excepta categoria relatorum; quod videtur Aristoteli ex diametro repugnare inquienti 4 Top. 4. p 529. Ἐὰν δὲ ᾖ πρός τι τὸ εἶδος, σκοπεῖν εἰ καὶ τὸ γένος πρός τι. εἰ γὰρ τὸ εἶδος τῶν πρός τι, καὶ τὸ γένος, καθάπερ ἐπὶ τοῦ διπλασίου &c. Videntur certe mihi confundere isti genus vel fundamentum physicum & dialecticum.

Item plerique ita loquuntur: Ex absolutis, inquiunt, oriuntur relationes, aut applicationes rerum, aut ordinationes, aut collationes, ut calefactio est applicatio, qua transfertur caliditas in aliud. Paternitas est ordo eius, qui genuit ad genitum. Similitudo est duarum qualitatum convenientia, quae collatione intelligitur.

Item Cum, inquiunt, de patre ~~loquimur~~ dicimus, fundamentum est persona quae genuit: terminus persona genita, ordo a patre ~~sed~~ ad filium est paternitas. ~~Item~~ Nam inquiunt Si ordinatio sit personae, fundamentum sumit ex praedicamento substantiae ipsam nempe personam, ita ut in ordinatione personae fundamentum sit ipsa persona vel substantia &c.

Sim